



Exercitatio juridica inauguralis de mandato

<https://hdl.handle.net/1874/342425>

5.

EXERCITATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
M A N D A T O.

Q U A M,

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,***JOANNIS GEORGII GRAEVII**Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,*Eruditorum examini subjicit***JACOBUS SYLMAN, GRONINGANUS.***A.D. Maji, horis locoque solitis.*

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Icc xc.

Præceptoribus ac Studiorum
meorum promotoribus do-
ctissimis , vigilantissimis.

Parenti meo venerando , filiali
obsequio ac reverentia ad ex-
tremum vitæ halitum profe-
quendo.

Omnibusque amicis meis fide-
lissimis , dilectissimis , sangu-
ine affinitate ac familiaritate
mihi junctis.

*In gratitudinis , animi submissionis & perpetuae
amicitiæ tesseram se atque primum hunc inge-
nii sui partum , devotâ humiliique mente*

Dedicat & Offert

JACOBUS SYLMAN , Auctor.

EXERCITATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
M A N D A T O.

T H E S I S I.



Uemadmodum contractuum in genere consideratorum ab Imperatore Justino commode distributio facta est in duas species , verorum sc. contractum & quasi , §. 2. inst. d. obl. Sic prima species rursum ab eodem Imperatore subdividitur in quatuor species contractuum , quorum quidam fiunt

re , quidam *verbis* , alii *literis* , nonnulli

solo consensu: Eorum autem qui solo consensu fiunt , tanquam postrema contractuum verorum species , ultimus nec dignitate minimus est Mandatum , pr. f. d. obl. ex cons. l. 2. ff. d. obl. & aet. Cujus materia ita statim occupavit animum meum , ut sepositis , quæ de aliis emergebant , cogitationibus , ad hanc me verterim ejusque electionem faciendam esse censuerim , ut indagando ac exponendo ejus naturam utilitatemque ingenium meum exerceam : in cuius exegesi ut ordine procedam præmittam primò Etymologiam vocabuli Mandati , mox ejus definitionem & nonnullas divisiones in personas hunc contractum ineuntes & in modum seu formam contrahendi , deinde executionem & effectum hujus contractus , denique resolutionem seu modos finiendi hunc contractum exponam .

I I.

Non improbandum est eorum institutum qui in vocabulo-

A 2 rum

4 EXERCITATIO JURIDICA

rum originem eorumque variam significationem prius quam in rem ipsam inquirunt, secundum l. i. ff. de Reb. cred. id nec in re nobis proposita absonum fore duco, ut in antecessum investigem unde Mandatum dicatur. Plerisque juris interpretibus non insulse illud deductum videtur *quasi manus datum*, siquidem in mandatis dandis accipiendisque, manus sibi invicem dari mos antiquitus erat, quod adhuc in mutuis promissionibus observari videntur quia manus fidei symbolum esse, unde fallere dextram, profidem fallere dicitur. Differt vero *Mandatum à commendatione*, qua non committitur gestio, proinde nec simpliciter commendantem obligat, etiamsi quid in eum propter commendationem istam collatum fuerit, fac. l. 12. §. 12. ff. h. t. unde vulgo dicitur, *verba aut scripta commendatio non inducere obligationem mandati*, l. 11. §. 2. ff. d. Leg. 3. nisi commendator literis suis specialiter se ad aliquid obligasset, haud dubie tum teneretur, l. ult. C. *Quod cum eo qui &c.*, l. 7. C. h. t. item differt à *consilio & exhortatione*, quæ actione mandati quoque non obligant, l. 2. §. ult. d. l. 12. §. 12. ff. h. t. l. 20. ff. d. his qui not. inf. Differt etiam à *jussu*, qui proprie ad eos refertur qui in potestate nostra sunt, ut filii familias & servi, §. 1. f. *Quod cum eo qui in ali &c.* Mandatum vero ad istas personas proprie refertur qui extra potestatem nostram sunt, quibus plerumque res & negotia aliena gerenda mandantur.

III.

Quoniam omnis quæ de aliqua re instituitur disputatio, à definitione profici sci debet ut intelligatur quid sit de quo disputatur, ut docet Cic. Lib. 1. d. offic. Igitur ita definio *Mandatum* quod sit *contractus nominatus, juris Gentium, bonæfidei, solo consensu constans, quo aliquid gerendum ab uno committitur & gratis ab altero suscipitur*: Quod *Mandatum contractus* est, facile constat ex §. ult. f. d. obl. just. pr. f. b. t. & pr. f. de obl. quæ ex del. l. 2. §. 3. l. 2. ff. h. t. ni enim *contractus* esset, unde tum obligatio mandati daretur, l. 1. ff. b. t. nam obligatio illa ex delicto non est, ex *contractu* igitur ut sit oportet, d. l. 2. h. t. *Quod sit*

I N A U G U R A L I S. §

fit contractus nominatus, evincit arg. l. 7. §. 1. ff. d. Paet. l. 1.
§. 2. ff. d. rer. permis., nam & peculiare ac specificum nomen
habet, producitque actionem nomini suo convenientem, §. 8.
10. 11. & 13. f. b. t. ad differentiam contractuum innomina-
torum, speciale ejusmodi nomen non habentium, sed tantum
civilem obligandi causam, id est, dationem vel factum, l. 7.
§. 2. ff. d. Paet. unde actionem nomini contractus responden-
tem non producunt, sed vel condicitionem, l. 1. §. 4. ff. d. rer.
permis. l. 3. §. 2. ff. d. condic. causa dat. causa non sec. vel actionem
praescriptis verbis, d. l. 7. §. 2. ff. d. Paet. l. 5. §. 2. ff. d.
presc. verb., cum tamen regulariter nominati contractus pro-
ducant actionem nomini suo conuenientem.

I V.

Sequitur jam ut sit *Juris Gentium & bonæfidei*, nullus nam
juris civilis contractus est qui ultro citroque obligatorius est,
ut hic contractus, quod postea thesi 15. & 16. videbimus, nec
qui bonæfidei est: Quod vero hic contractus *Juris Gentium* fit,
patet ex §. 2. f. d. f. N. G. & Civ. l. 7. pr. & §. 1. ff. de Paet.
l. 1. ff. b. t. junct. l. 1. infin. d. contr. empt. Quod autem bonæfidei
fit, docet expresse §. un. f. d. obl. ex cons. §. 28. f. d. att., &
hoc verum est ratione formulæ quæ judici dabatur à prætore,
alias enim mandatum posset videri stricti juris, quia ejus fines
præcise custodiendi sunt. l. 5 ff. b. t.

V.

Porro solo *consensu* constare dixi, quia ut substantiam capiat:
hæc obligatio, sufficit eos qui hunc contractum ineunt, con-
sentire, §. un. f. d. obl. ex consens., nulla enim datione ut in con-
tractibus realibus hic opus est, pr. & §. seqq. f. d. obl. quæ re
contr., nullaque hic opus est presentia ut in stipulatione, §. 1.
f. d. verb. obl. §. 11. f. d. inut. stip., nec ulla scripturâ ut in li-
terarum obligatione, §. un. f. d. lit. obl. adeo ut mandatum
recipiens eti nihil gesserit, ex sola tamen conventione obliga-
tur,

6 EXERCITATIO JURIDICA

tur, l. 6. §. 1. ff. b. t. Habent quidem etiam cæteræ obligationes quæ *re*, aut *verbis*, aut *literis* aut *consensu*, contrahuntur, in se consensum utpote qui omnium contractuum communis spiritus est, l. 1. §. 3. ff. d. *Pact.* sed ad perfectionem suam & obligationis substantiam adhuc requirunt vel rei interventum vel verba vel literas quæ cum consensu concurrant, ut supra ostendi: Obligationes autem ex consensu ideo dicuntur, quia *consensu solo* perficiuntur & constant, nihilque desiderant præter mutuam contrahentium voluntatem, d. §. un. f. d. *obl. ex cons.* Consensus hic à contrahentibus declaratur vel *expresse* vel etiam *tacite*, l. 6. §. 2. l. 18. l. 53. ff. b. t. consensus expreflus colligitur ex certis indiciis inter prælentes verbis, inter absentes nuncio aut epistola, §. un. f. d. *obl. ex cons.* l. 4. ff. p. *Soc.* l. 1. §. 1. h. t. l. 2. ff. d. *Pact.* Tacitus vero consensus fit re vel facto aliquo, tanquam ex claris & perspicuis circumstantiis, veluti qui præfens patitur nomine ejus quid geri, l. 60. d. R. f. E. g. si quis vendidit prædium meum me præsente nec tamen expresse consentiente, si pretium ex ea causa accepero, videbor ipse vendisse, l. 12. ff. d. evit. ratio est quia patientis mei utilitas hic vertitur, ideoque mandati teneor, ut *not. Goth. ad d. l. 18.* nam alioqui tacens pro consentiente non habetur, l. 8. §. 1. ff. d. *Proc.* Imo etiam solo nutu de mandato conveniri potest, arg. quod fideicomissa nutu relinqu possunt, quamvis non relinquantur nisi ex voluntate, l. 21. ff. d. *leg. 3.* Mandatum quoque *in diem* differri vel *sub conditione* contrahi potest, §. 12. f. b. t. l. 1. §. pen. ff. eod. nec refert quibus verbis mandatum interponatur, sive quis dicat *rogo*, *volo*, *mando* sive quocunque alio modo ex quo mandatum intellegi potest. l. 1. §. 1. ff. b. t.

V I.

Interposito consensu committuntur negotia gerenda id est facta futura, tamen negotii jam gesti ratihabitio, mandatum quoque inducit, l. 60. d. R. f. l. 56. d. *Judicis*, l. fin. C. ad *SCrum Macedon.* l. 50. pr. ff. b. t. l. ult. ff. rem. rat. dom. habit., cap. 10. d. R. f. in 6. *Committi negotium dicitur*, cum quis mandat

I N A U G U R A L I S. 7

dat & rogat ut alter negotia sua gerat : Hinc qui mandat sive gerendum offert, mandans vel mandator dicitur, l. 10. §. 11. l. 26. 28. 60. ff. b. t. item negotiorum dominus, l. 1. ff. d. Proc. etiam fidejussoris nomine mandans s̄epe comprehenditur, §. 6. f. b. t. l. 6. §. 2. ff. eod. Differunt tamen in eo quod mandatur semper ante obligationem, l. 12. §. 14. ff. b. t. & quoque absens recte mandat, l. 1. §. 1. ff. b. t. fidejussor vero sequitur obligationem & accedit ei quæ jam contracta est, quia fidejussoria obligatio est accessio obligationis principalis quæ sine eo consistere nequit, l. 57. ff. d. fidejuss. licet fidejussor ante reum principalem promittere quidem possit, l. 6. §. ult. ff. d. Fidejuss. tamen obligatio ejus non tenet antequam principalis debeat & tam diu in suspenso est, l. 35. ff. de iudiciis, nec ante conveniri potest quam reus principalis debeat, d. l. 57. ff. d. Fidejuss. Qui vero manum dat sive gerendum suscipit, dicitur procurator, l. 7. 8. 10. 55. ff. b. t. seu mandatarius, à quo potissimum hic contractus deducitur: postquam enim recepit, susceptum negotium implere cogitur, quia non suscipere cuilibet liberum est, susceptum vero consumandum aut primum renunciandum est, §. 11. f. b. t. l. 22. §. 11. ff. eod.

V I I.

Et quidem hæc susceptio debet fieri *gratis*; mandatum enim nisi gratuitum sit, inquit Imperat. in aliam formam contractus cadit, §. 13. f. b. t. nam hoc conventionis genus originem ex officio atque amicitia traxit, quibus contraria est *merces*, l. 1. §. 4. & l. 36. §. 1. ff. b. t. Si enim merces certa consistens in pecunia numerata intervenit, incipit locatio & conductio esse, d. §. 13. & l. 1. §. 4. ff. eod. sc. si factum sit quod locari solet, quale est quod mercede facto proportionata æstimari solet, qualia sunt omnia opera mechanica, ut fossam fodere, insulam ædificare &c. nam si factum locabile non sit, unde nil commodi pecuniarii ad alterum reddit, aut si merces quidem sed incerta promissa sit, tum in contractum innominatum incidit, l. 5. §. 2. & l. 22. ff. d. præscr. verb. operas vero liberales pretio nummario

asti.

8 EXERCITATIO JURIDICA

estimari indignum est, l. 1. ff. d. extr. cognit. Honorarium tamen sive animi gratiā mandante erga mandatarium facta remuneratione, contractui huic accedere potest, eumque non vitiat, sed nilominus mandatum esse dicitur, l. 6. ff. b. t. proque eo promisso mandatarius jure experiri nequit, nisi ei certum promissum sit, quod vel condicione certi, pr. f. d. V. O. vel extra ordinem apud prætorem vel præsidem provinciæ petere potest ex rescripto Impp. in l. 1. in fin. C. b. t. & l. 7. ff. cod. quam sententiam amplectitur quoque *Consultissimus & celeberrimus Dominus Wess. Bertlingius f. V.D. & in Lyceo Groningano-Omlandico Antecessor eminentissimus, pro tempore Rector Magnif. olim preceptor meus ac de studiis meis meritissimus, Assert. jurid. Dodec. 22. th. 8.* Salarium vero incertæ pollicitationis nequidem extra ordinem peti posse constat l. 56. §. pen. ff. b. t. l. 17. C. eod. ut si dixerit mandator. Non experieris me ingratum, incertitudo enim ista promissionem vitiat, nam qui tantum *gratum se fore* promisit, rem minimam præstare vel tantum oretenus gratus esse potest, nec obſt. l. 1. §. 10. ff. d. extr. cog. l. 1. C. b. t. ubi certum salarium cautum vel promissum est: nec pr. f. locat. l. 22. ff. d. prescr. verb. quia in ipsis locis est pollicitatio certa per relationem. Speciale vero est in re quæ aliquam dignitatem aut favorem habet, veluti ob studia liberalia, quorum causa sive quid sive nihil promissum sit, extra ordinem de eo cognosci ac salarium peti potest, l. 4 ff. d. extr. cog. l. 38. §. 1. ff. locat. l. 1. in fin. ff. si mens. fals. mod., nisi forte advocati sint aut procuratores ad lites qui operam gratis præstare soliti sunt, quod olim obtinuisse colligitur ex l. 15. C. d. Proc. ibique Goth. ad lit. c.

V I I I.

Post singulas definitionis partes explicatas & ex jure demonstratas, videamus porro hujus contractus objectum seu materiam & quid sit quod gerendum committi potest. Sunt utique res seu facta honesta & licita, nam contra bonos mores quemadmodum nulla obligatio est, l. 7. §. 3. ff. d. past. l. 57. ff. pro

INAUGURALIS. 9

pro Soc. l. 23. l. 26. l. 27. ff. d. V. O. l. 6. §. 3. ff. b. t. ita nec mandatum tale contrahi potest, §. 7. f. b. t. adeo ut nulla inde actio inter contrahentes oriatur, ne quidem etsi poena ejus facti nomine a mandario promissa sit, nam quod turpi ex causa promissum est, non valet §. 23. f. d. inut. sfp. nec mandatarius propter turpitudinem mandati consummati, forte ob illationem injuriæ, pñnam quam præstítit, neque impensas in quas propter vulnus condemnatus est, judicio mandati consequi potest, quia proprii delicti pñnam præstítit, imputet enim sibi se id suscepisse quod non debuerat, l. 22. §. 6. ff. b. t. vel cui ex turpi mandato nocitum est, ei in mandantem actio est, cum per alium agens, per se agere videtur, ac damnum dat qui jubet dare, l. 169. D. R. I. Uterque enim & is qui turpe mandatum dedit & qui id exsecutus est, obligatur ex delicto illis quibus nocitum est, nec mandantem excusat quod mandatarius facinus perpetravit, neque mandatarium, quod ab alio ipsi mandatum est, § pen. I. D. injur. l. 11. §. 3. ff. eod l. 5. C. de Accus. nec minus severe puniendus qui mandavit quam qui facinus per petravit. l. 15. §. 1. ff. adl. Corn. d. Sicar. l. 7. §. ult. ff. d. Fnrisd. l. 7. §. 1. ff. d. eo per quem fact. &c. quod & probari potest ex Sacris literis. 2 Sam. 13. v. 28. & 1 Reg. 21 v. 10. Et hoc adeo verum est ut nec mandatarius potestati mandantis subjectus excusat à pñna si mandato domini deliquit in atrocioribus, in quibus domini dicto audiens esse non tenetur l. 11. §. 7. ff. quod vi aut clam. l. 20. d. Obl. & att. l. 157. d. R. I. non utique in minus atrocioribus, l. 37. ad l. Aquil. l. 157. & 169. d. R. I. quæ sc. non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, in quibus factis servis ignoscitur si dominis suis obtemperaverint.

I X.

Flagitioso mandato simile est illud quod inhonestum est, nec ex eo ulla mandati actio oritur, l. 6. §. 3. ff. b. t. veluti si adolescens luxurosus mandet alicui ut pro meretrice fidejubear, & ille sciens mandatum susceperit, non habebit mandati actionem

B nem

10 EXERCITATIO JURIDICA

nem non magis quam si mandatum suscepisset à tali ut mere-trici pecuniam crederet, quia simile est ac si perdituro sciens credidisset, l. 12. §. 11. ff. h. t. l. 8. pro empt. Quæstio jam est an mandans qui limitatum delictum demandavit, cum mandatarius præscriptum modum excessit, homicidii an vulneris pœna teneatur, veluti si vulnerari tantum mandaverit, & mandatarius occiderit: Quidam dicunt eum à pœna homicidii non excusandum, quia sufficit quod causam mortis præbuerit mandando vulnerari, cap. fin. d. homic. in 6. nec ei prodebet limitatio-nem adjectam tanquam mandato contraria, non magis quam protestatio facto contraria, licet enim mandans animum cedisse facienda non habeat, verum tamen est eum qui versatur in facto illico, de toto eventu ejus facti teneri, quem exinde sequi posse cogitare debuit, l. 38. §. 5. l. 16. §. 8. ff. d. Pæn. ita & mandans cogitare poterat, ex vulnera mortem sequi posse nec vulnera dari ad mensuram: Verum aliis distinctione placet, utrum mandatarius excessum datâ operâ commiserit, an per imprudentiam: casu priori mandantem de vulnera tantum teneri dicunt, eo quod mandatarius non deliquit per causam mandati sed per excessum ex proprio dolo: at posteriori casu mandatum vere esse in causa cedis admissæ, arg. l. 15. ff. ad l. corn. d. sic. quia eventum mandans spectare debuerat, ut sup. ostendi. Præter facta flagitiosa & in honesta, à mandato quo-que excipiuntur actus legitimi, id est qui per solennes legis actiones coram judice, cui id specialiter lege indulsum est, ex-pediendi, arg. l. 2. & 3. d. off. procons. qualis est *Additio hereditatis*, l. 20. ff. d. acquir. hered. item *Emancipatio*, §. 11. f. d. hered. quæ ab int. def. *Adopcio*, l. 24. & seq. ff. d. *Adopt.* *Acceptatio*, l. 13. §. pen. d. *Accept.* *Tutoris datio*. l. 6. §. 1. ff. d. *Tut.* §. 1. I. d. *Attit. tut.* Ratio est quia isti actus per alium ex-pediri non possunt.

X.

*Antequam ad modos contrahendi transeam, prius videre pla-
cket personas huic contractui incundo idoneas, quales sunt omnes
illi,*

illi, qui contrahendo sese obligere & procurare valent, nec specialiter ab hoc contractu excluduntur, arg. l. 43. pr. & §. 1. ff. d. Proc. A mandato tamen committendo arcetur *furious* quia non consentire nec ullum negotium recte gerere potest, nam non intelligit quod agit, §. 8. f. d. *inut. stip.* l. 5. D. R. f. nec *pupillus* absque tutoris aurhoritate; *minor* tamen procurator esse potest, non solum ad negotia extrajudicialia l. 1. §. 4. d. *Exerc. act.* l. 7. §. ult. l. 8. d. *instit. act.* sed etiam ad lites, modo major 17. annis sit, arg. §. 5. 1. qui & quib. ex caus. manumitt. non lic. junct. l. 23. d. *minor*. (licet fecus sit de jure Can. cap. 5. d. Proc. in 6.) tamen defensor in iis causis ex quibus possit restitui in integrum, idoneus non est, l. 51. ff. d. Proc. l. 12. C. eod. Nec mulier in causa aliena, ne intercedere videatur contra mentem SCti Vellejani, l. 7. ad SCtu vell. l. 7. §. 1. d. *instit. act.*, tamen recte mulieri mandatur, modo mandatum tale sit quod personæ mulieris conveniat, id est, non contineat virile aliquod officium a quo mulieres removentur, l. 18. C. d. Proc. l. 2. d. R. f. excepto casu speciali in l. 41. ff. d. Proc. De deportato jam queritur an ille etiam mandare possit? quod à nonnullis negatur ob hanc rationem quod nil proprii habere potest cum omnia quæcumque acquirit fisco cedant. l. 2. C. d. *bon. proscript.* contraria vero sententia amplectenda videtur, si huic legi 2. jungatur l. 15. ff. d. *interd. & releg.* l. 17. §. 1. ff. d. Pan. ex quibus patet deportatum ea tantum qui juris Civ. non tamen qui juris gentium sunt, amittere, & quæ postea sibi acquirit, post mortem demum fisco cedere, dd. ll.

X I.

Quemadmodum mandatum non suscipere cuilibet liberum est, §. 11. l. b. t. ita suscepsum negotium mandatarius rursus alii mandare & subdelegare potest, l. 3. §. 3. ff. b. t. l. 13. C. d. *contr. stip.* l. 5. §. 3. d. *administ. & peric. tut.* l. 12. C. qui dare tut. vel curat. poss. modo nihil mandantis intersit. l. 8. §. 1. ff. b. t. aut nisi diserte prohibitum sit, l. 1. §. 5. vers. quod tamen d. *Exerc. act.* Ratio licet substitutionis habetur in d. l. 13. C. d.

12 EXERCITATIO JURIDICA

contr. stip. Ut & procurator ad litem, post contestationem litis, cum ejus dominus est factus, substituendi potestatem habet, *l. 8. §. 3 ff. d. Proc. l. 8. l. 11. inf. C. eod. Cap. 1. vers. licet d. Proc. in 6.* Non movet juris reg. in contrarium, quod quoties electa est singularis persona fides & industria, per aliam personam id expediri nequeat; nam ea reg. post const. *justin. in l. 13. C. d. cont. stip.* non usque quaque observatur, siquidem possibile est, factum alii impositum ab alio impleri posse, nam quod quis per alium facit dum ei mandat ut faciat, id ipse fecisse videtur, *l. 5. §. 3. ff. de admin. tut.*

X I I.

Ratione objecti dividitur mandatum quod sit vel *generale*, universa alicujus negotia & pro conditione negotiorum vel judicialia vel extrajudicialia complectens, *l. 6. §. 6. ff. b. t. vel speciale*, quo quædam aut certum aliquod negotium gerendum committitur, *l. 3. §. 1. l. 37. ff. b. t. l. 31. §. 5. ff. d. Furt.* Illud generale rursus subdividi a DD. solet in generale simplex seu *cum libera sc. administrandi potestate*, *l. 60. §. fin. b. t. l. 4. §. 4. d. A. R. D.*, *l. 58. d. Proc. §. 42. l. d. R. D. l. 7. §. 1. in f. d. Pecul. l. 10. C.* quod cum eo qui in al. pot. aut *sine libera*, seu cum restricta (forte conservationem tantum aut administrationem respiciente) gerendi potestate, *l. 63. ff. d. Proc. l. 1. §. 1. d. offic. proc. Cæf. Cap. 4. d. Proc. in 6.* Quanquam in tali subdivisione parum situm est nam cui omnium bonorum administratio permissa est, illa utique satis libera est, nec quo ad effecta multum differunt ut communiter DD. ostendunt. Alia etiam proponitur subdivisione quinque partita sumpta fine, sc. quod mandatum contrahitur vel *mandantis tantum causa*, ut si mandem alicui ut mihi fundum emat, *§. 1. l. b. t. l. 2. §. 1. ff. eod. vel mandantis & mandatarii gratia*, ut si mandem alicui ut procuratori meo pecuniam sub usuris credat, *§. 2. l. b. t. l. 2. §. 4. ff. b. t.* alia exempla videre licet in *l. 22. §. 2. l. 45. §. pen. & ult. eod. jung. l. 38. §. 20. & 22. ff. d. V. O. §. 19. l. d. inut. stip. vel fit extranei tantum causa*, si mandem

dem alicui ut Titii negotia gerat, §. 3. I. b. t. l. 2. §. 2. ff. cod. verum dicat aliquis tale mandatum nullius momenti esse, quia mea non interest Titii negotia geri, §. 18. I. d. inut. stip. l. 38. §. 17. ff. d. V. O. & explorati juris esse nemini actionem competere nisi ei cuius interest, l. 32. ff. locat. cond. Quod etiam Ulp. in causa mandati nominatim expressit, l. 8. §. 6. l. 6. §. 4. ff. b. t. Ad quæ responderi potest, mandatum Titii tantum gratia intervenire videri, quatenus Titius ut Titius & negotia ipsius qua aliena considerantur, & catenus mea ut mandantis nil quoque interesse nec mandati actionem mihi dari posse, d. l. 8. §. 6. verum non requiritur ut statim & ab initio mandantis intereat quo tempore mandatum interponitur, at sufficit ex postfacto mandantis incipere interesse, v. g. qui Titii negotia mandatu meo gessit quidem sed non ut oportet, inde ego quippe cuius propter mandatum gessit, teneor domino rei gestæ actione negotiorum gestorum, l. 21. §. fin. l. 28. ff. d. negot. ges. mihiique mandanti tum merito objicitur regula juris quæ docet *in culpa esse eum qui se miscet rebus ad se non pertinentibus*, l. 36. d. R. I. jam utique mea interest ut mandatarium ob male gesta convenientiam actione mandati, d. l. 6. §. 4. & l. 8. §. 6. ff. b. t.

X I I I.

Contrahitur quoque Mandatum *ad utilitatem mandantis & alieni*, ut si mandem alicui, ut negotia mihi cum Titio communia gerat, §. 4. I. b. t. l. 2. §. 3. ff. cod. vel *ad commodum mandatarii & alieni*, v. c. mandem alicui ut sub usuris pecuniam Titio credat; Mandatarii enim hic interest propter quæstum usurarum, Titii vero propter usum pecuniæ, §. 5 I. b. t. l. 2. §. 5. ff. cod. Hæc species in eandem quæstionem incidere potest, quam habet species tertia, præcedenti th. proposita, ex d. §. 3. ubi dubitationem quantum potui, sustuli. Verum *solius mandatarii gratia* mandatum contrahi nequit, nam forma tantum externa tale videtur & potius consilium quam mandatum est, nec proinde obligatorium, etiam si non expedit ei cui manda-

B 3 datum

14 EXERCITATIO JURIDICA

tum est , cum liberum cuique sit apud se explorare an fibi
tale consilium expediat nec ne , pr. & §. 6. I. b. t. l. 2. §. fin. l. 48.
§. fin. ff. eod. l. 2. d. Proxen. Excipitur primo si dolus arguatur,
quem ne consilii quidem praetextu quisquam impune fert ,
§. 6. I. b. t. l. 2. §. nlt. ff. cod. l. 8. l. 23. & l. 31. ff. d. Dol. mal. l. 47.
d. R. I. Secundo si quis non simpliciter rem alteri commendarit,
l. 12. §. 13. ff. b. t. sed specialiter persuaserit ac induixerit , no-
minando V. C. certam personam cui mandatarius feneraret ,
quamvis ipsius cui mandat commodum principaliter intendat ,
is enim facturus non fuisset , nisi mandatu isto tam singulari-
ter inductus fuisset , d. §. 6. in fin. I. b. t. l. 6. §. 5. ff. eod. vel
tertio si mandans periculum in se suscepit , l. 32 ff. b. t. De-
nique his speciebus sexta mandati species addenda est , cum quis
mandat sua , mandantis & aliena causa , ut si tutor contutori
suo mandat ut servum necessarium pupillo emat , l. 8. §. 4.
ff. b. t.

X I V.

Viso mandati objecto seu materia & forma , sequitur ut vi-
deamus ejus executionem & effectum qui consistit in obliga-
tione & actione : executio enim requirit ut diligenter fines
mandati custodianter non vero egrediantur , & ut à mandata-
rio ad prescriptum agatur , ne aliud quid fecisse videatur
quam quod ei mandatum est , l. 5. pr. b. t. alioqui tanquam
non impleto mandato , repetitionem impensarum contrario
judicio non habebit , sed tantum quatenus intra mandati fines
se continuuit , §. 8. f. b. t. l. 4. ff. eod. quamvis ipse directo judicio
mandati teneatur , l. 41. ff. eod. Et nil refert utrum excessus
mandati fiat in re , sc. unam pro altera emendo , l. 5. §. 2. ff. b. t.
sive in quantitate , eam augendo vel minuendo , d. l. 5. §. 3. eod.
sive in qualitate obligandi , ut si alicui mandavero ut pro me in
diem fidejuberet , ille vero pure fidejusserit & solverit , sed
quoniam mandati fines egressus est , illi mecum mandati actio
non erit , l. 22. ff. b. t. Sive quoconque alio modo mandati
fines egressus sit quo causa mandantis deterior fiat , quod fieri
non

non debet, l. 3. pr. l. 5. §. ult. ff. b. t. Hinc jam queritur si mandatarius certam mandati formam praescriptam non servaverit, an & quatenus ei actio mandati competit? V. C. mandatarius mihi emit fundum majori pretio quam ipsi mandaveram: Et Sabino ac Cassio placebat, ut ne quidem ad summam mandato comprehensam ei actio daretur, quasi plane aliud quam quod rogatus erat, fecerit, licet paratus sit id quod excedit remittere, l. 3. §. ult. ff. b. t. Verum Nerva & Proculus quorum sententia prævaluuit, rectius ac benignius existimabant, ad summam concurrentem, mandatario actionem mandati non esse denegandam, d. §. 8. f. b. t. & l. 4. eod. quia nil iniqui habet, ut ego teneam fundum recipere eo pretio quo eum mihi emtum volui, licet mandatarius eum pluris emerit, qui reliquo remisso mihi gratificatur. Porro queritur an non etiam ratione excessus, actio non quidem mandati sed saltem utilis negotiorum gestorum mandatario danda sit? Quod à nonnullis affirmatur, inter quos Perez. ad tit. Cod. Mand. num. 14. & Bronch. I. Miscell. 66. Myns. aliquie, hac nitentes ratione quod res quam mandatarius pluris emerit, forte tanti quoque valeat, & sic utiliter negotium domini licet absque mandato gesserit, l. 2. & l. 45. ff. d. Negot. gest. Verum illi repelluntur ex l. 31. §. 4. d. tit. l. 37. §. 1. ff. d. Pecul. & apte ex l. 40. ff. b. t. & arg. l. ult. C. d. Neg. gest. Quod enim specialiter praescriptum est, meritò expressæ prohibitionis loco habendum est, si contra quam mandatum est, fiat: Idque est quod generaliter Paulus definit, *diligenter mandati fines custodiendos esse*, eos enim quatenus excessit, a iud. quid fecisse videtur, l. 5. impr. ff. b. t. nam voluntas mandantis, modum & finem erogationi imponit, d. l. 31. § 4. d. Negot. gest. Alioqui si mandatorem, ultra id quod à mandatario impendi voluit, obligari dicimus, manifeste ei injuria fieret, & aperiretur fenestra improbis hominibus callide excedendi fines mandati. Si tamen res quæ pluris emta est, revera pluris valeat, tum non tenetur mandatarius eam aliter mandanti præstare, quam si paratus sit totum pretium quod pro ea erogavit; refundere, arg. l. 3. in fin. l. 5. l. 27. §. 2. ff. b. t. quia naturalis æquitas non fert ut quis ex alieno locupletior fiat, l. 14. d.

Con-

16 EXERCITATIO JURIDICA

Condit. indeb. l. 1. §. 1. d. Dol. mal. & met. exc. Non prætereundum est, eum qui minoris rem emit vel pluris vendidit, non excedere fines mandati, nec qui æquipollens mandatum implet non habendum esse pro excedente, sed media ad id idonea pro usu negotii eligere posse, *l. ult. §. ult. ff. b. t.* nam in hoc bonæfidei contractu, tacite mandata videntur sine quibus mandatum produci ad exitum non potest, *l. 56 l. 62. ff. d. Proc. arg. l. 2. ff. d. Jurisd. l. 20. §. 1. d. S.P. U. l. 3. §. ult. d. S. P. R. l. 11. ff. commun. præd. &c.*

X V.

Ex hoc contractu oritur jam duplex actio sc. *directa & contraria*, ubi considerandum cui denter, contra quem & ad quid. Actio igitur mandati *directa*, est personalis quæ datur mandanti cuius interest, *l. 8. §. 6. b. t.* ejusque heredi, quia civilis est & rei persecutoria, *§. 17. f. d. Att. §. 1. f. d. Perpet. & temp. att.* item bonæfidei, *§. 23. f. d. Att.* interdum famosa, *l. 1. l. 6. §. 5. ff. d. his qui not. inf. l. 21. C. b. t.* si sc. propter dolum quis condemnatus sit, *arg. d. l. 6. §. fin.* Porro datur contra mandatarium & ejus heredes, *l. 12. l. 49. d. O. & A.* & si plures sint, contra singulos in solidum, *l. 60. §. 2. ff. b. t.* verum hodie exceptionem divisionis habent, ut *not. Groenew. ad d. l. 60. §. 2.* at si unus tantum gesserit, reliquis beneficium ordinis ex æquitate conceditur ut administrator prius excutiatur, *l. ult. C. d. divid. tutel.* Datur hæc actio ad id ut mandatarius exsequatur mandatum juxta præscriptum modum, vel si eo modo non impleatur, ad præstandum id quod mandantis interest, *l. 5. §. 1. l. 6. §. 1. l. 8. §. 6. l. 27. §. 2. l. 41. ff. b. t. l. 16. C. eod. junct. l. 13. §. ult. d. Re jud. l. 22. §. 11. ff. b. t. & §. 11. f. eod.* Item ut restituat quod penes eum ex administratione residet, *l. 10. §. 2. l. 20. b. t.* licet contra mandantis voluntatem *d. l. 10. §. 3. & 8. l. 20. eod.* Et actiones cedat quas occasione mandati acquisivit, *l. 8. §. 5. & ult. l. 43. 45. pr. & §. 5. b. t. l. 49. §. fin. d. A. vel A. P.* Ut & ad usuras ob moram in restituendis nummis quos ex distractione rerum mandantis sibi comparavit, *l. 32. §. 2. ff. d. Usur.*

*d. Usur. & ob culpam, v. c. si contra mandantis consuetudinem pecuniam ejus sc̄enori, cum potuisset, non exposuerit, l. 13. §. 1. eod. Præterea in exequendo mandato, bonam fidem præstare tenetur, l. 10. pr. l. 59. §. 1. b. t. quæ in hoc contractu quo res alienæ administrantur, in eo consistit, ut non tantum de dolo teneatur, l. 44. b. t. sed & de omni culpa, etiam levissima ob non adhibitam diligentiam exactissimam, de qua fidem dare amico videtur, suscipiens ejus negotia curanda, nam nemo fere mandat nisi amico, nec quisque credit nisi ei quem putat fidelem, l. 13. & 21. C. b. t. ubi diserte Imp. Constantinus ait, *quod aliena negotia exacto officio geruntur, nec quicquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpā vacuum est.* Quoꝝ pertinent etiam loca præclara ex Cic. pro Rosc. à Pérez. in C. b. t. num. 9. & à D. Hubero in prælect. ad J. b. t. num. 7. notata. Ab hac tamen præstatione excipitur à Lauterb. ad b. t. & Struv. Exerc. 22. tb. 10. b. t. si negotium tale sit quod industriam non requirit, adeo ut in eo negotio non nisi dolo aut dissolutâ negligentia fides violetur vel mandatum negligatur: puta si fidejussor conventus, sciens prætermisit exceptionem doli vel non numeratae pecuniæ, si enim ignoravit, nihil est quod ei imputetur, l. 29. §. 4. b. t. item si quis omisit emere rem quam facile potuit, l. 8. §. ult. eod. ibique Gothof. ad lit. G. De casu vero fortuito mandatarium teneri non placet, nisi ipsius culpa casum præcessit aut ad illum se obligavit, dd. ll. 13. & 21. C. b. t. ubi exclusio casus fortuiti, levissimæ culpæ inclusionem satis inducit.*

X V I.

A&cio mandati contraria competit mandatario ejusque heredibus, l. 12. §. 7. & 9. l. 14 ff. b. t. vel si filius familias mandatarius fuit, ejus patri, at non nisi contemplatione filii sui adhuc in potestate constituti mandatum perfecerit, ut ejus fidem impleret, d. l. 12. §. 5. eod. secus enim obtinet si pater id egerit mandantis intuitu, vel filii quidem sed post emancipationem, quibus casibus patri negotiorum gestorum actionem dari con-

C stat,

18 EXERCITATIO JURIDICA

stat, ex d. l. 12. §. 6. b.t. l. 46. ff. d. negot. gest. Competit sc. hæc actio contra mandatorem ejusque heredes, l. 58. pr. b.t. ad id ut mandans durante administratione necessaria subministret, l. 12. §. ult. b.t., cäque finitâ agnoscat & ratum habeat quod suo nomine gestum est, & ad consequendam indemnitatem ratione mandati, l. 15. & 20. ff. b.t. id est ut mandans vel ejus heredes restituant sumptus & impensas mandati exsequendi gratia factas, non tantum necessarias sed & utiles, licet tales esse desierint, vel inde non extiterit sperata utilitas, l. 1. l. 4. C. b.t. arg. l. 10. §. 1. ff. d. negot. gest. nam eventum præstare mandatarius non debet, sed sufficit si diligentiam adhibuerit quam debuit; licet mandans minus forte impensarum fecisset si ipse negotium gessisset, l. 27. §. 4. b.t. Tenetur præterea mandans ut damnum resarciat, quod mandatarius in rebus propriis occasione mandati passus est, modo id non casu sed aliqua mandantis culpâ contigerit, l. 26. §. 6. ff. b.t. exemplum culpæ vid. l. 61. §. 5. ff. d. Furt. quæ si jungatur cum l. 26. §. 7. b.t. patebit mandantem, si servum in genere tantum sine certæ personæ designatione emi mandasset, ad reparationem furti facti à servo suo nomine emto, mandatario non teneri, sed servum noxæ dedendo defungi posse: Secus tamen est contra d. l. 26. §. 6. in judicio societatis etiam particulari, ubi propter communionem lucri atque damni, talia invicem imputari solent, l. 52. §. 4. ff. pro Soc. Mandatarium actione sua mandati contraria non ulterius quatenus mandati fines servavit, §. 8. f. b.t. nec ullo remedio quatenus exorbitavit, experiri posse, ex ante dictis th. 13. sup. colligi potest. Obligatus præterea est mandans ad usurarum præstationem præter impendorum refusionem, & quidem earum quæ post moram currunt, vel etiam ante, si pecuniam quam mandatarius impendit, vel ab alio sub usuris sumsit, vel ab eo qui eam ipsi sub usuris debebat exegit, l. 1. 18. & 20. in fin. C. b.t. l. 20. §. pen. ff. d. negot. gest.

X V I I.

Quoniam mandatarius communiter actionem suam non instituit

tuit nisi finito negotio, acturus enim a sua parte prius satisfacere debet, arg. l. 13. §. 8. ff. d. act. emt., quanquam fidejusso-ri quatuor casibus permittatur ante solutionem experiri, quos videre licet apud Perez. in Cod. b. t. num 22. Ideoque placet mihi in parte divisionis quæ adhuc ex reliquis supra expositis re- stat, ostendere qua ratione & quot modis negotium hoc eva- nescat aut finiatur; qui considerari possunt vel quatenus huic negotio Mandati finiendo proprii, vel quatenus communes sunt, ad omnes obligationes pertinentes, de quibus tit. ult. f. l. 2. Modos quibus proprio jure mandatum solvitur, recense- bo tres, 1. à parte mandantis tantum, 2. à parte mandantis & mandatarii, 3. à parte mandatarii tantum, quos jam paucis subjungam.

X V I I I.

Solvitur mandatum à parte mandantis tantum. Revocatione seu voluntatis mutatione, non tantum expressa sed interdum quoque tacitā, ut in specie l. pen. ff. d. Reb. cred. & arg. §. 10. inf. f. b. t. & l. 18. ff. d. Solvit. quia mandatum utpote contra-ctus gratuitus plerumque mandantis causa fiat, l. 12. §. 16. l. 15. b. t. & quisque suo favori renuntiare possit, l. pen. C. d. Part. atque opera & officio sibi oblato non uti, aut quod sua causa suscepimus est, repudiare, dummodo revocatio ista *re ad hoc integra* fiat, §. 9. f. b. t. id est si mandatarii nondum cäperit interesse mandatum retractari: ejus vero interest cum jam per- venit ad aliquem mandati actum & se præparavit ad mandatum exsequendum, impensis nonnullis factis, suisque negotiis omisis, arg. l. 32. ff. b. t. Re enim non amplius *integra*, nemo potest renuntiare semel contractæ obligationi, adversario non consentiente, l. 5. C. d. O. & A. nec mutare consilium suum in alterius injuriam, l. 75. d. R. f. & quam primum mandata- riī interesse cäpit, postea revocans, actione mandati ex ante- gesto, id est gesto antequam mandatarius sciret mandantem revocasse, mandatario tenetur ut consequatur quod ei propter mandatum abest, ne damno afficiatur, l. 15. & 26. ff. b. t.

XIX.

A parte utriusque solvit mandatum *morte vel naturali vel civili*, sed quia homini *cuique cursus unus vite ab opifice datus est*, cuius finis omnino mors est, l. ult. C. d. Episc. & Cler. à morte naturali tanquam principali incipiam. Mandatum igitur morte solvit mandatis quam mandatarii, §. 10. I. b. t. i. *morte mandantis* integro adhuc mandato, d. §. 10. mortuus enim velle desinit, neque eadem voluntas censetur in herede mandatoris, quia mandati natura tacite continetur ut neutrius egrediatur personam, & præstatio officii in mandato, vel ratione ejus cui præstatur, vel ejus qui præstat, tota personalis est, l. 57. ff. b. t. l. 6. d. Curat. fur. dat. Cap. ult. extr. d. Offic. deleg. Verum utilitatis causa id est ex æquo & bono receptum est, ut, si quis executus fuerit mandatum, ignoratè probabiliter morte mandantis, ei actio mandati detur adversus heredes mandantis, ne mandatarius ex officio suo damnum sentiat, §. 10. I. b. t. l. 26. 58. ff. eod. quippe in hoc judicio de bona fide agitur, cui non congruit de apicibus juris disputare, ut eleganter Ulp. ait in l. 29. §. 4. ff. b. t. Similiter si ab ignorantè extinctum esse mandatum, solutio facta sit, sustinetur hoc ex æquitate contra rationem stricti juris, eique mandati actio datur, l. 11. inf. Depos. l. pen. d. Reb. cred. l. 18. 34. §. 3. l. 31. ff. d. Solut. Vel nisi mandatum alicui sit ut hæredibus mandatoris post mortem ejus fundum emat, vel ei monumentum exstruat, l. 14. §. 2. Relig. vel quid aliud faciat quod post mortem mandantis demum incipit, & tum mandati actio heredi & in heredem mandantis competit, l. 2. §. ult. l. 15. ff. b. t. idem ab Ulp. in dote benigne receptum esse dicitur ob favorem dotium, l. 9. §. 1. ff. d. jure dot. Ejusmodi exceptiones plures cui videre placet, ubi sc. heres mandatoris utiliter conveniri potest, evolvat l. 1. C. d. O. & A. l. 33. ff. d. A. vel A. P. l. 17. §. 2. 3. ff. d. inst. act. & l. 49. §. 1. ff. d. Judiciss.

XX.

2. *Morte mandatarii etiam re adhuc integra*, d. §. 10. I. b. t.
l. 57. ff. eod. quia in hoc negotio electa est certa hominis fides
 atque industria, quæ non eadem est in hærede mandatarii,
 quia tales qualitates & virtutes jure hereditario non acquirun-
 tur, ut notatur ex *l. 9. ff. d. Cur. fur. dat. à Dn. W. Bertl. f. Cto*
consummatissimo, *Assert. jurid. Dodec. 22. ib. 9.* & ob id si ille
 hæres executus fuerit mandatum, non habebit mandati actio-
 nem, *l. 27. §. 3. ff. b. t.* licet ad id quod ipsius interest actio-
 nem habeat ex facto seu ante gesto defuncti, *l. 15. & 26. b. t.*
 & ea quæ jam a defuncto cæpta erant, dummodo quæ agen-
 da supersunt cum prioribus connexa sint, perficere possit,
arg. d. l. 27. §. 3. b. t. l. 5. §. 5. l. 37. §. 1. admin. tut. l. 13. d. tut.
& rat. distr. l. 3. §. pen. d. contr. tut. act. l. 11. arbitr. tut. His
 convenit illud Cic. pro Rosc. quod *nemo mandat nisi amico &*
fidi. *Morte quoque utriusque civili hoc negotium solvi*, mo-
 nui sup. th. 19. quod intelligitur de maxima & media capitum de-
 minutione, *arg. l. 17. ff. d. Proc.* qua homines non minus quam
 morte intereunt, *l. 63. §. ult. ff. pro Soc.* Illam enim passi,
 pro mortuis habentur, *l. 1. §. pen. d. bon. poss. contr. tab. l. 29. §.*
5. d. lib. & posth. l. 4. §. 2. de bon. libert.

XXI.

Denique a parte mandatarii tantum solvitur hic contractus
Renunciatione, modo illa re adhuc integra fiat, nam mandati
 actio nascitur demum ex quo interesse cœpit, *l. 8. §. 6. b. t.*
 Mandatarius quidem susceptum semel negotium consumare te-
 netur, *§. 11. I. b. t. l. 22. §. ult. l. 27. §. 2. ff. eod.* tamen ut
 mandanti conceditur revocare, re adhuc integra, *§. 9. I. b. t.*
 ita & mandatario liberum esse deber renuntiare ne contractus
 claudicet, dummodo fiat tempestive ut integra causa manda-
 tori conservetur, negotium per se vel per alium expediendi
ad. II. intempestiva enim renunciatio mandatarium non liberat

22 EXERCITATIO JURIDICA

ab obligatione , non quidem ad mandatum præcise impletum , sed ut præstet actione mandati id quod mandantis interest , negotium impletum non esse , d. l. 27. §. 2. b.t. juxta naturam aliarum obligationum faciendi , l. 13. §. 1. d. Rejud. §. ult. I. d. V. O. nisi mandatarius justâ causa quam judex examinat , impeditus fuerit , aut non aut intempestive renuntiandi , l. 22. §. ult. & 3. seqq. ff. b.t. vid. l. 17. & seqq. ff. d. Proc.

XXII.

Visis Mandati finiendi modis propriis & remotis à communione dissolvendarum obligationum in 4. proxime præcedentibus titulis propositis , quomodo sc. vel solius mandantis vel solius mandatarii voluntate , re adhuc integra , a contractu mandati jam perfecto recedere licet . §. 9. & 11. I. b. t. l. 12. §. pen. l. 15. ff. eod. quod hic contractus cum Societate communione habet , §. 4. I. d. Soc. l. 63. §. ult. l. 63. §. 7. ff. eod. cum ab aliis contractibus perfectis ut Empt. vel Locat. unius partis contrahentium placito discedi nequeat , contra regulam communem in l. 5. C. d. O. & A. neminem ab obligatione semel constituta , adversario non consentiente , recedere posse : Rationem diversitatis hanc dari posse existimo , sc. quia Societas & Mandatum contractus gratuiti sunt , in quibus quamdiu nullius interesse capitur , pænitentiae locus est , l. 8. §. 6. ff. b. t. junct. §. 9. & 11. I. eod. At contra in aliis contractibus mox post utriusque consensum editum , alterutrius interest . Secundus Societatis & mandati finiendi modus proprius est , quod unius est sociis vel mandantis vel mandatarii morte , totus finiatur contractus , §. 5. I. d. Soc. l. 4. §. 1. 52. §. 9. 63. §. ult. 65. §. 9. ff. eod. §. 10. I. b. t. l. 26. 27. §. 3. 57. 58. ff. eod. contra communem quoque regulam quæ docet nos contrahendo non tantum nobis ipsis sed & heredibus nostris prospicere & heredes in universum jus defunctorum succedere , l. 9. d. Probat. l. 37. d. Acquir. hered. l. 62. d. R. f.

XXIII. Re-

XXIII.

Reliquum est ostendere ex Th. 16. sup. Mandatum quoque extingui jure communi seu communibus illis & ad omnem obligationem pertinentibus modis , de quibus tit. ult. I. l. 2. quorum ultimum locum sibi vindicat contraria utriusque voluntas contrahentium seu mutuus eorum dissensus , quo etiam re abduc in regra a Mandato receditur , §. fin. I. d. iit. l. 6. §. 7. l. 58. ff. d. Pact. l. 1. 2. C. Quand. licet ab emt. disc. l. 5. §. 1. ff. d. Resc. vend. Omnes enim obligationes qua consensu contrahuntur , contraria voluntate dissolvuntur , d. §. fin. Atque naturali rationi conveniens est , arg. l. 35. & 153. d. R. f. l. 80. ff. d. Solut. Ultimo denique loco mandatum quoque finitur jure communi ratione rerum , cum finis negotio impositus est , quod colligendum ex forma contractus , veluti si quis ad certum aliquod tempus negotia alicujus administranda suscep erat , lapsu eo tempore , contractus dirimitur , arg. l. 65. §. 6. ff. pro Soc. vel si super re aliqua aut negotio singulari mandatum contractum sit , negotio isto peracto , finitur quoque contractus , arg. §. 6. I. d. Soc. l. 65. §. 10. l. 63. §. ult. ff. eod. Itaque huic meo negotio in me suscepto & qualquali consummato finem impono.



Ad Doctissimum
D. CANDIDATUM,
MANDATI materiam
solide enodantem.



Onesta mandavit tibi negotia
Astraea , gratis & dedisti tu
manum ;
Hic commodum versatur ejus
& tuum.

Tu fortiter summâque diligentia
Hac executus , facile mandanti potes ,
Si cupiat , acti rationes reddere :
Ingrata , credas , nec erit tibi Themis ,
Ast , sicut incipit , dabit salarium ,
Titlos , honores , permanens semper nomen ,
Ut sint laboris anteacti pramia.

Hæc , forte fortuna Ultrajecti præfens , familiari
amico raptim scribere voluit & debuit

P. L A M A N , J. U. D.